

Pars perlonga nitet, niveo splendens arigento;
 Vertice christallus, pulchro nitet ordine fixus.
 Qui numerat gemmas ungues observet amicos.
 Inveniet pulchros proprio fulgore ametistos;
 Iam si vera loquor, preclaraque vernat iaspis.
 Hunc pro more gerit festis sollemnibus anni.
 Quinque quater ducti numerant hec talia nobis;
 Si binos addas, tunc compotus optime stabit.
 Heya! senes nivei, iuvenes, pueri, Benedicti
 Talibus in festis concordet vox pia menti.
 Helgaudus cantor, Christo sanctisque fidelis
 Hoc opus instruxit, Guntardus verba notavit.
 Cantantes Christus semper benedicat Iesus.

Deinde librum lectionum in precipuis sollempnitatibus
 sanctorum auro argentoque vestivit hosque versus adnexuit:

Hoc dedit Helgaudus Benedicto munus alumno.

Huic miserere Deus, didic¹⁾ quicumque fidelis.

39. Inter cetera etiam quibus Floriacensem exornavit
 basilicam, sancte virginis Scolasticę aecclesiam, pene ad heremi
 redactam speciem, a fundamento eruit et in meliorem statum
 reformavit.

Alteram pariter in honorem sancti Dionisii primo ligno,
 deinde tabulatu construxit lapideo ²⁾.

Emit Rugimontem ³⁾ villam, novem libras pro ea largiens.

Ceterum Isembertus, vir magnę sanctitatis atque pru-
 dentię, albam, undique auro gemmulisque pulcherrimę vernantem,
 ad patris Benedicti emit honorem.

Composuitque suę oboedientię armarium contra insanien-
 tium terrores ignium.

40. Procul positi etiam in sibi adsignatis preposituris, qua
 instantia paterna emulabantur exempla, non est dignum silentii
 occulere ignavia. Adraudus, probabilis vitę vir, Salense
 monasterium quam plurimum adcrevit comparatione prediorum.
 Quin etiam ipsam aecclesiam melioris extulit compactione
 fundaminis.

Willelmus, Castellionis prepositus, prelibatam sancti Martini
 aecclesiam, in castro Gordona fundatam, sed igne concrematam,
 petrino refecit aedificio, qui aque sentiens penuriam, propter
 ipsius castri ascensum difficilem, promptuaria ⁴⁾ aperit, cemen-
 tariis tradit indeque cementum imperat confici. Unde paries
 totius templi vini temperamento concrevit.

41. Rodulfus, Patriciacensi ⁵⁾ prelatus congregationi, ipsum
 locum plurimis dehonestavit edificiis. Ipsam etiam basilicam
 in meliorem statum reformavit.

Quem secutus, Willelmus domum hospitem cauce et

1) Hs.: didic. 2) Cfr. Bouquet, X, 112. 113. (Delisle).

3) Rougemont, dép. Loiret, entweder c. Outarville, com. d'Aschères
 oder c. Pithiviers. com. Jèvre-la-ville (Delisle). 4) Hs.: proptuaria.

5) Pressi, dép. Saône-et-Loire c. Saint-Bonnet de Joux (Delisle).